

Cam-b id-
ge.

hil vero in itinere visit quod memoria dignum, nisi qua *Cam* amniculum recipit, *Cambridge* rusticatum viculum, *cujus pontem quum ordine literato*, ut *Æthelwerdus* scribit, *Dani cum opimis spoliis transmeassent, exceperunt illos gravi prælio Occidentales Saxones, & Mercii in Woodnesfeld, ubi tres eorum reguli ceciderunt. Heatfden Cinuill, & Inguar.*

Barkley.
Vide Bri-
stow in So-
merfetshir-
re.

Eodem littore non multo inferius sedet *Barkley*, Saxonice *Beopkenlau*, castro munitissimo *Majore* (qui summus est magistratus) & *Dominis* suis *Baronibus* de *Barkley* antiquæ nobilitatis notissimum; è quibus, regnante *Henrico VII*, *Guilielmus Baro Barkley* fuit *Vicecomes Barkley*, *Marchio Barkley*, *Comes Nottinghamiæ*, & *Marescallus Angliæ*; sed cum nullam ille progenit prolem, hi tituli una cum illo evanuerunt. *Qua arte Godwinus Cantii Comes* vir ad faciendam injuriam instructissimus in hujus loci possessionem se miserit, si intelligere velis, paucula hæc ex *Gualtero Mapæo*, qui ante annos *cccc* floruit, legas, nec lectu sane indigna videantur.

Godwini
fraus.

Berkleia prope *Sabrinam* est villa *500* librarum. *Monialium* erat ibi *monasterium*, quibus *Abbatissa* præfuit nobilis & *formosa*. *Godwinus Comes* in dolo subtili satis non ipsam, sed sua cupiens, in transitu ei reliquit nepotem suum juvenem elegantissima forma, tanquam infirmum, donec reverteretur, instruxitque ipsum jacentem ne convalesceret, donec visitantes ipsum, & ipsam & quascunque posset moniales fecisset de honestis onustas; & ut plenam valeret ab iis assequi juvenis visitationis gratiam, anulos & zonulas ei dedit ipsi in fraude largienda. Is igitur voluptatis iter ultronium libenter ingressus, quod facilis descensus *Averni* facile docetur, & in id quod sibi sapit sapienter desipit. Penes ipsum resident omnia fatuis optanda virginibus pulchritudo, deliciae, divitiæ, affabilitas, & sollicitus est singulum locum habere. *Diabolus Pallada* igitur expulit, *Venerem* intulit, fecitque *Salvatoris* & *Sanctorum Ecclesiam* execrabile *Pantheon*, & delubrum *lupanar*, & sic agnas convertit in *lupas*. *Tumentibus* igitur *multarum* uteris, jam relanguens & victus voluptatis evictor evolat, *Domino* suo *victrices* aquilas mercede dignas iniquitatis illico refert. Ille regem impigre adit, *Abbatissam*, & suas prægnantes, & omnibus prostitutas edocet, exploratoribus missis omnia probat. *Berkleiam* ipsis petit ejectis, & a *Domino* suo accepit, uxorque *Guedæ* reliquit, sed quia de hoc *Manerio*, sic habet liber * *Censualis Angliæ*, pro destructione *Abbatia* ipsa aliquid comedere volebat, emit pro illa *V* decenter ut inde viveret, donec ad *Berkley* maneret. Sic male parta mens bona semper averfatur. *Quomodo* Rex *Edwardus Secundus* uxoris artibus regno exutus, in hujus loci castro *Adami Episcopi Herefordensis* scelerata versutia sit sublatus, qui hæc verbula sine interpunctionibus ad ejus custodes scripsit: *Edwardum* occidere nolite timere bonum est, ut pro sensus varietate, & illi cædem pararent, & ipse se commode excusaret, malim ab *Historicis* petatis, quam a me expectetis. Sub hoc *Aven* fluviolus mare subintrat, ad cujus fontes vix octo mill. pass. à littore in collibus prope *Alderley* viculum lapides cochlearem, & ostrearum specie enascuntur, quæ sive viva aliquando fuerint animantia, sive naturæ ludicra, quærant *Philosophi* naturæ venatores. *Fracastorius* vero *Philosophorum* ætate nostra *Coryphæus*, animantia fuisse minime dubitat in mari enata, & in montes undis delata. *Montes* enim à mari

* Domef-
day book.

Subdola
Episcopi
versutia.
Edw. Se-
cundi cæ-
des.

Cochleæ
lapideæ.

fuisse egestos affirmat, arena primum in tumulos conjecta, mareque inundasse ubi nunc montes exfurgunt, eodemque recedente infulas & montes fuisse detectos. Sed hæc extra curriculum.

TRAJECTVS cujus meminit *Antoninus*, è *Trajectus* regione *Abonis*, ubi *Sabrinæ* æstuarium trajicere solebant, olim erat, ut conjicimus ex nomine apud *Oldbury*, id est, si interpreteris, *Vetus Burgus*, ut nos hodie ad *Aust* viculum paulo inferius. Hic *Aust-clive* olim vocabatur, clivus enim est confragosus & in magnam altitudinem editus. Memoria sane dignum est, quod hoc loco factum fuisse scribit *Mapæus* ille quem dixi. *Edwardus Senior*, inquit, ad *Aust-clive*, *Leolinus V Vallis* regulus ad *Bethesley* egerunt, & cum ad colloquia *Leolinus* minime descenderet, nec *Sabrinam* trajiceret, *Edwardus* ad *Leolinum* transit. *Videns* autem ipsum, & agnoscens *Leolinus* projecto pallio solenni, nam se foro paraverat, usque ad pectus ingressus est aquam, & cymbam amplectens ait, *Sapientissime Rex*, tua humilitas meam vicit *Superbia* *humilitate* devicta. *superbiam*, & *sapientia* triumphavit *ineptiam*, collum adscende, quod contra te fatuus erexi, & sic intrabis terram quam tibi hodie tuam fecit benignitas, acceptumque humeris super pallium suum sedere fecit, & junctis manibus sibi fecit * *hominium*. In eodem etiam littore *Thornbury* jacet, ubi fundamenta magnifici ædificii educta visuntur, quod extructurus erat *Edwardus Dux Buckinghamiæ* ultimus, anno, ut testatur inscriptio, undecimo supra millesimum quingentesimum. *Septem* hinc milliaribus præfluenti *Sabrinæ Aven* infusus *Glocestrenses* & *Somersettenses* dividit, nec procul ab ejus ripa *Puclechurch* cernitur, olim villa Regia *Puclekerks* dicta, in qua *Edmundus Angliæ Rex*, dum litibus dirimendis inter *Dapiferum* suum, & *Leove* hominem profligatissimum, se interponeret, transossus occubuit.

Aust-clive.

Superbia
humilita-
te devicta.

* homage.
Thornbury.

Pucle-
church.

Huic vicina sunt *Winterbourne*, quæ suos *Dominos* habuit *Bradstonos* nomine, à quibus *Vicecomes* *Montis-acuti*, *Barones* de *Vventworth*, &c. genus deducunt. *Acton* quæ equestri familiæ de *Acton* nomen fecit, cujus hæres enupta *Nicolao Pointz* Equiti aurato tempore *Edwardi Secundi*, eandem posteris reliquit. *Derham* viculus, Saxonice *Deorham*, ubi cruento admodum prælio *Cæulinus Saxo* tres *Britannorum* regulos, *Commeail*, *Condidan*, & *Fariemeiol* cum aliis occidione occidit, & agri illius possessione *Britannos* omnino exuit. *Amplissima* valla castrorum munita, & hinc inde tanti belli monumenta expressissima etiamnum eo loci supersunt. *Baronia* hæc fuit *Iacobi de Novo Mercatu*, qui tres filias progenit enuptas *Nicolao de Moëlis*, *Ioanni de Boteroux*, & *Radulpho Russell*, cujus posterio locupletati ex matrimonio cum hærede nobilis familiæ de *Gorges*, nomen *Gorges* sibi assumpserunt.

Bradeston-
ni.

Acton Ire-
ton.
Pointz.
Derham.
Marianus.

Iacobus
de Novo
Mercatu.

Magis ad *Septentriones* *Duresley* conspicitur, antiqua *Barkleiorum* possessio, qui hinc de *Duresley* dicti, fundatores fuerunt *Monasterii* de *Kingswood* Ordinis *Cistertiensium* in proximo: & haud ita procul ad Ortum *Beverston* castrum quondam *Gournatorum*, & *Ab-Adamorum*, qui sub *Edwardo Primo* floruerunt, postea *Barkleiorum* ordinis equestris.

Bever-
ston.
Ab-Adam.